

sponsi per triduum in continentia se in tanti sacramenti obsequium ac reverentiam servarent (6).

Cum vero temporis tractu Ecclesia experimento didicisset abusus plures irrepere in nuptiarum celebratione, factum est, ut pluribus legibus eas communiret quavis aetate, ut ea qua pars est sanctitate inirentur, adeo ut perenni usu Ecclesia potestatem suam in christianorum coniugia palam ostenderit.

Hinc quoties aliqua exorta est controversia circa alicuius coniugii naturam, valorem, legitimatem, nec non circa sponsalia, separationem etiam quoad torum, aliaque eiusmodi, toties reperimus illam fuisse ab Ecclesia discussam atque definitam (7). Plura item antiquitus constituta sunt circa secundo, tertio ultriusque repetitas nuptias, quae deinceps partim immutata sunt, partim obsoleverunt (8). Sic plura sancta sunt circa tempus et locum, quibus coniugium iniri posset (9).

Ab his singillatim afferendis abstinemus, cum nobis in praesenti articulo unice propositum fuerit ostendere generatim, Ecclesiam tum divinitus habere, tum iugiter sibi divino iure in christianorum coniugia potestatem vindicasse.

ARTICULUS II. — Potestas Ecclesiae in Matrimonium christianum supra est et independens.

Optima ratio dignoscendi naturam potestatis ecclesiasticae, de qua disserimus, est diligenter inspicere materiam circa

bratione matrimonii dicens: *confirmat oblatio*; quae verba omnino intelligi debere de sacrificio missae et communione ostendit Albasinaeus in notis ad hunc locum.

(6) De qua continentia fuse scribit Martenius loc. cit. c. IV.

(7) Cf. Phillips *Du droit Ecclésiastique dans ses principes généraux*. Trad. Crouzet. Paris 1830. tom. deux. liv. I. §. CIX. pag. 403.

(8) Haec omnia collecta sunt apud Chardon *Hist. des sacremens* tom. VI. *Hist. du mariage* ch. IV. art. 1. et 2. ex quibus patet a nonnullis privatis et particularibus ecclesiis interdum erratum fuisse: quare quae ab ipsis perpetram constituta sunt vel ab Ecclesia universa, vel a Rom. pontificibus sunt emendata.

(9) Ibid. chap. III.

quam versatur, et modum quo in proxim deducta est. Si enim materia ipsa, utpote spiritualis omnino et sacra, supremam et independentem Ecclesiae potestatem suapte natura requirat; si Ecclesia a suis usque initis hoc plane sensu sine ulla prorsus dependentia eam collatam sibi divinitus esse intellexerit, ac iugiter exercuerit: profecto nemo inficias ibit, eiusmodi potestatem iure meritoque dici independentem atque supremam.

At vero, si primo materiam, circa quam potestas versatur, inspiciamus, ea est matrimonium christianum verum propriumque sacramentum. Huic fundamento potestas Ecclesiae eaque suprema et independens innititur. Semel ac coniugium, quod antea in officium naturae, ac si placet, in societatis bonum constitutum erat, ad sacramenti dignitatem evectum est, eo ipso Christus Deus-homo ac supremus Dominus sine ulla prorsus ab hominibus dependentia in tota sua plenitudine supremam Ecclesiae suae potestatem contulit in sacramentum matrimonii, quod ipse instituit.

Nimirum eadem ratione Ecclesiae commissum est matrimonii sacramentum, qua caetera sacramenta eidem Ecclesiae administranda commissa sunt; scilicet ea est collata suprema potestas, quae necessario requiritur, ut Ecclesia Christi ipsius vice fungens decernat atque iudicet de conditionibus appositis aut apponendis, ut nil desideretur, quominus et ex parte tum materiae tum formae, et ex parte ministri, et ex parte suscipientis, rite sacramenta singula conficiantur ac suscipiantur.

Equis enim aliis praeter Ecclesiam poterit iure decernere, ac sententiam ferre in iis, quae ad sacramentorum valorem, aut dignam collationem aut susceptionem requiruntur? Ridiculum plane atque absonum foret contendere, Ecclesiae non inesse supremam independentemque potestatem iudicandi de materia, forma, subiecto, ministro Baptismi, Confirmationis, Eucharistiae, Poenitentiae, Extremae Unctionis, aut Ordinis; deque aliis adiunctis, quae horum omnium sacramentorum administrationem ac susceptionem praecedunt aut comitantur. Hinc nunquam hac de re excitata quaestio est. Cum Donatistae

errorem rebaptizantium adoptantes contenderent, non solum ab haereticis, verum etiam a malis ministris administratum baptismus nullius esse valoris; cum Montanistae ac Novatiani nonnulla esse peccata docerent, quae virtute clavum remitti aut solvi non possent; cumque Callixtini necessariam ad salutem esse utriusque eucharistici symboli sumptionem effutirent: nonne iure ab Ecclesia supremo iudicio iudicati ac damnati sunt, perinde ac reliqui omnes, qui simili ratione Ecclesiam incusarunt circa aliorum sacramentorum administrationem? Nonne pari ratione reiecti ab Ecclesia sunt Montanistae ac Novatiani primis seculis, quaemadmodum medio aevo Cathari, Albigenses proscripti sunt, qui pariter circa sacramentum poenitentiae aut sacri ordinis turpiter errarunt? Quandonam principes aut seculares potestates sese hisce negotiis immiscuerunt, aut contulerunt, Ecclesiam haud posse absque dependentia a potestate civili suam exercere potestatem? Quandonam Ecclesiae auctoritatem in sacramenta obnoxiam suis legibus atque statutis principes laici autumarunt? Certe nihil eiusmodi in tota sacra antiquitate invenietur. Cur enim vero, nisi quia omnibus semper persuasum fuit, Ecclesiae potestatem in sacramentorum administratione ex Christi ipsis voluntate supremam atque independentem esse oportere?

Nisi igitur certis ac indubii argumentis ostendatur aut aliquod interpositum esse discriben inter sacramentum christiani coniugii ac caetera sacramenta, aut Christum Dominum aliquam pro hoc solo sacramento exceptionem fecisse, iure nos concludimus, eadem ratione independentem atque supremam esse Ecclesiae potestatem in connubii christiani sacramentum, ac suprema et independens est eiusdem Ecclesiae potestas in sacramenta reliqua.

Iam vero discriben intercedere inter matrimonium, prout est sacramentum, ac sacramenta reliqua nequit ostendi. Etenim sacramenta signa sunt gratiae efficacia, pariter matrimonii sacramentum gratiae signum efficax est. Unicum quod urgetur discriben illud est, quod matrimonium non modo sit sacra-

mentum, verum etiam contractus. Haec porro distinctio inter contractum sive naturalem sive civilem et sacramentum in connubio christiano explosa est in libro superiore, in quo ostendimus, quam inanis in concreto sit huiusmodi distinctio, quae nonnisi ratione et mentis conceptu admitti potest, minime vero in re, ita ut duae entitates reales contractus et sacramentum haberri debeant, cum iuxta catholicam doctrinam christianum coniugium nihil aliud sit in suo formali conceptu, quam ipse contractus evectus ad dignitatem sacramenti, seu pressius adhuc, quam ipse contractus effectus a Christo sacramentum aut in sacramentum conversus. Itaque eo ipso, quod Christus nuptiale contractum sacramentum efficerit, non amplius dispesci aut separari potest ratio sacramenti a ratione contractus, et viceversa, sed *re* duo haec unum idemque sunt (10); aut iuxta nonnullorum sententiam contractus nuptialis pars est essentialis ac materia proxima *ex qua* fit sacramentum, qui ex divina dispositione Ecclesiae regimini traditus est, in quem ipsa plenam supremamque exerceat potestatem. In qua cumque hypothesi, aut ipsem contractus est sacramentum, ut nunc certo tenet vera sententia, et nullum dubium quin subsit Ecclesiae potestati, ut constat ex dictis; aut est materia proxima et essentialis sacramenti, et iterum patet ab ipso sacramento esse inseparabilem, adeoque Ecclesiae potestati subesse.

Neque realis ponit potest distinctio relate ad personas, quae ad contrahendum convenient. Etenim licet antequam contractum faciant spectari debeant uti cives, ac propterea politicae subsint potestati, cum tamen actu ineunt coniugium per mutuum consensum, seu efficiunt contractum nuptiale, uni subduntur Ecclesiae, quum eo in actu eadem personae, aut ipsum efficiant sacramentum per illum eundemque actum, quo contrahunt, aut per contractum ponant materiam proximam sacramenti, quod ad Ecclesiam unice pertinet. Ad eum nempe

(10) Vid. lib. I. sect. I. cap. I. art. 4.

modum, quo aqua, panis, vinum ac res caeterae, quae sacramentis conficiendis inserviunt, quamdiu non sunt nisi materia remota sacramentorum, profanae res sunt, atque hominum curae permissae: cum vero ex illis sacramenta conficiuntur, seu quum accedente forma materiam proximam sacramentorum constituunt, sacrae res sunt ad solam pertinentes Ecclesiam; sic contrahentes per actum, quo se coniugio copulant ac sibi invicem administrant sacramentum, sub regimine solius Ecclesiae, quatenus contrahentes sunt, constituuntur.

Nullo idcirco existente sive intrinseco, sive extrinseco discrimine inter caetera sacramenta et sacramentum christiani connubii, unde peti possit aut debeat diversus ecclesiasticae potestatis gradus relate ad hoc unum sacramentum, reliquum est, ut expendamus utrum Christus sacramentorum auctor et institutor aliquam fecerit exceptionem quoad sacramentum coniugii, unde inferri possit Salvatorem coarctasse Ecclesiae potestatem, ita ut respectu istius sacramenti independens non sit atque suprema. Verum huius exceptionis nuspiciam in sacris litteris vestigium appetet. Quin potius, si ratio habeatur eorum, quae Christus ipse circa matrimonium constituit, inferre deberemus peculiarem in coniugia auctoritatem ipsum exercuisse. Siquidem Christus non modo naturalem contractum nuptialis foederis sacramentum effecit, verum etiam sustulit indultam veteribus polygamiam, nullo habito respectu ad politicam potestatem; abrogavit concessum a Mose repudii libellum; respuit omnes perfecti divorci faciendi causas, ut suo loco ostendemus. Nempe omnimodam plane ac supremam in coniugium auctoritatem patefecit, atque idcirco exemplo suo Ecclesiam docuit, ei plenam, independentem, supremamque competere in coniugium potestatem.

Concludamus igitur, sacramenta omnia uno eodemque modo Ecclesiae commissa a Christo fuisse; ac propterea, cum omnibus fatentibus, ita reliqua omnia Ecclesiae commissa fuerint, ut ipsa in illorum administratione ius plenum, supremum ac independens a quavis seculari potestate consecuta sit, eam-

dem plenam, supremam, ac prorsus independentem potestatem in christianum coniugium accepisse, quod non secus ac alia verum est propriumque sacramentum.

Sed ne forte haec ecclesiasticae potestatis independentia videatur abstracta tantum atque idealis conclusio ex natura sacramenti petita, rationem, qua in praxin tradita potestas deducta est ab Ecclesia, paulo diligentius investigemus. Prout enim ab initio constituimus, si Ecclesia, quae hanc potestatem a Christo obtinuit, vel a prima sua institutione eam et intellexit et exercuit ut supremam, independentem, iure optimo ut talis habenda est. Porro ita Ecclesiam intellexisse atque executioni mandasse potestatem sibi factam in coniugio christianorum, nullo negotio demonstrari potest.

Atque ut omittamus apostolum Paulum, qui in I. ad Corinth. VII. plura, auctoritate sibi a Christo tradita, circa coniugia constituit sive fidelium cum infidelibus, sive fidelium inter se, pluresque sibi propositas hac de re quaestiones diremit, nulla interposita potestatis civilis mentione; quia reponi posset, ipsum potestate extraordinaria fuisse potum, utpote apostolum, alia iam in promptu habemus argumenta, quae nullam exceptionem patiuntur.

Compertum est, Ecclesiam per tria fere continenter secula sub Ethnicorum imperatorum politico regimine ac potestate extitisse. Haec vero est aptissima aetas, qua, quid Ecclesia potestate sibi insita, propria, suprema ac independente a regimine politico principum praestare possit, certo innotescat. Si constiterit, tota illa dirae ac immanis persecutionis periodo, plenam prorsus ac supremam et ab ethnicorum principum legibus atque statutis immunem potestatem in sacramentorum administratione, praesertim vero in iungendis nuptiis sibi vindicasse, evidens erit Ecclesiam uti supremam et independentem intellexisse semper eam potestatem, quam a Christo accepit; adeoque hanc esse Christi ipsius mentem, qui eam facultatem contulit. Porro ab haereticis quibuscumque et a regalistis inquirimus, ut ipsi nobis patefiant, an Ecclesia

aliquando ad rite ac legitime sacramenta administranda a magistratibus illius aetatis facultatem aliquando petierit aut saltem fideles docuerit, ut eam ipsi exposcerent, ut legitime coniugia contraherent.

Proferant, si quod habent, Neronis, Decii aut Diocletiani diploma, quo Ecclesiae christiana facultas data fuerit aliquando quidpiam eiusmodi perficiendi, quod ad sacramenta, aut ad nuptias iungendas iuxta Ecclesiae leges referatur. Proferant libellum supplicem aliquem a christianis exhibitum principibus, aut magistratibus, ut sese legibus conformare possent, quibus ab Ecclesia obstringebantur. Quod si nihil eiusmodi proferre possunt, fateantur oportet, Ecclesiam toto illo tempore plena absolutaque potestate hac super re potitam fuisse.

Iam vero si Ecclesiae potestas sub ethnicis principibus circa sacramenta in genere, ac in specie circa coniugia, plena fuit ac independens, nulla assignari ratio potest, quare illam sub christianis principibus aliquando amiserit, cum scilicet principes in Ecclesiae sinum recepti et cooptati sunt, subditique eidem sunt facti, discipuli ac filii, non autem domini aut magistri. Illorum ad christianismum conversio accepta referri debet Dei gratiae, qui eos praevenit et in sortem vocavit filiorum Dei, atque Ecclesiae, quae eos admisit in sinum suum lustrali lavacro aluitque doctrina sua. Immutata quidem per hanc conversionem fuit illorum conditio, sed conditio Ecclesiae eadem permansit quoad naturam ac praerogativas suas perseveravitque. Nullum prorsus ius illi in Ecclesiam acquisiverunt, sed novas cum ea relationes adepti sunt, iuxta quas interdum legislationem suam temperare debuerunt ac harmonice cum legislatione Ecclesiae ordinare; quin Ecclesiae imperarent, eidem potius obtemperare debuerunt in iis, quae Ecclesia divinitus accepit, ac iugiter exercuit, ante quam principes ad christianam religionem converterentur.

Revera si veterum documenta consulimus, Ecclesiam tum ante tum post principum conversionem supremam atque inde-

pendentem potestatem circa nuptiale foedus christianorum exercuisse comperimus. Ac de prima quidem epocha sub Ethnicis imperatoribus testis est Tertullianus, qui prohibet prohibitas christianis nuptias cum paganis fuisse, dum scribit: « Coronant et nuptiae sponsos, et ideo non nubimus Ethnicis, ne nos ad idolatriam usque ducant, a qua apud illos nuptiae incipiunt (11). » Et iterum: « Fideles gentilium matrimonia subeuntes, stupri reos esse constat, et arcenos ab omni communicatione fraternitatis, ex litteris Apostoli dicentis, cum eiusmodi nec cibum quidem sumendum. Aut, numquid tabulas nuptiales die illo apud tribunal Domini proferemus? Et allegabimus quod vetuit ipse? Non adulterium est, quod prohibitum est, non stuprum est? Extranei hominis admissio minus templum Dei violat: minus membra Christi cum membris adulterae commiscet. Quod sciam, non sumus nostri, sed pretio empti: et quali pretio? sanguine Dei. Laedentes igitur carnem istam, eum laedimus de proximo (12). » Quibus, ut patet, Tertullianus, cum agatur de disparitate cultus, non provocat ad leges civiles, quae profecto de hoc

(11) *De coron. milit. c. XII.*

(12) Lib. II. *Ad uxor. cap. III.* ad quae verba hoc adiecit Rigaltius commentator. « Erant scilicet, quae maritis non christianis nuberent, ac nihilominus in Domino nubere crederent: nuptiis videlicet iustis ac legitimis, et liberorum querendorum, non libidinis causa; verum hosce colores diluit Tertullianus, conversusque ad uxorem: non satis est, inquit, rite ac legitimate nupsisse, et coniugii fidem sancte coluisse: nec tibi causam ante Domini tribunal dicenti, quicquam proderit tabulas nuptiales proferre; nam tabulas allegando, coniugium allegabis cum infidi, et allegatione tua teipsam damnabilis peccati, quod evitari Dominus per Apostolum iussit. Quid enim his verbis: *Tantum in Domino vetitum putas? Stuprum? adulterium?* Haec alio quidem capite veluntur, non isto. Christianus seu vir, seu foemina, templum Dei est. Foemina christiana, quae viro nubit non christiano templum Dei contaminari et inquinari patitur; imo turpius quam adultera. Nempe alieni viri admissio templum illud minus violat, minus membra Christi cum membris adulterae commiscet. Quod ut scias ac diligenter perpendas etiam atque etiam volo. Non sumus nostri, sed pretio empti, et quidem sanguine Dei. Laedentes igitur carnem istam, Deum laedimus de proximo qui carnem eius laedimus, carnem sanguine ipsius redemptam. Haec omnino fuit mens Tertulliani. »

nihil statuerant, sed ad sacram Scripturam, et ad Ecclesiae consuetudinem legemque.

Testis praeterea est S. Basilius, qui agens de impedimento orto ex primo affinitatis gradu in linea collaterali iuxta suppurationem canonicam, quam aliqui effutiebant vetitam haud esse in Levitico, eo quod ageretur de coniugio ineundo cum sorore uxoris defunctae, eos redarguit innixus consuetudine Ecclesiae et antiquae Patrum traditioni atque statutis sanctorum virorum. Sic enim scribit: « Primum quod in eiusmodi rebus maximum est, morem nostrum obiicere possumus, ut vim legis habentem, eo quod nobis a viris sanctis traditae sunt regulae. Mos autem ille est eiusmodi, ut si quis impunitatis vitio aliquando victus in illicitam duarum sororum coniunctionem inciderit, neque id matrimonium existimetur, neque omnino in Ecclesiae coetum admittatur, priusquam a se invicem dirimantur. Quare etiamsi nihil aliud dici posset, satis esset ipsa consuetudo ad boni custodiam (13). » Haec consuetudo, haec regula, mos hic vim legis obtinens repetitur a S. Basilio ex antiqua traditione, seu ab aetate illa, in qua adhuc Ecclesia sub principibus Ethnicis degebat, alioquin recens fuisset eiusdem institutio ac proinde memoria. Hac de causa documentum istud retulimus veluti spectans ad epocham, quae praecessit principum conversionem. Porro in eo ne verbum quidem de principum legibus.

Aliud huius rei documentum nobis exhibet pro illa aetate concilium Illiberitanum, quod longe verisimilius an. CCCV. celebratum est, seu vigentibus adhuc persecutionibus (14). Hoc enim concilium can. LXI. constituit: « Si quis post obitum uxoris suae sororem eius duxerit, et ipsa fuerit fidelis, quinquennium placuit communione abstinere (15). » Et in can. LXVI. severius adhuc ab eodem concilio vetitae fuerunt nup-

(15) Epist. CLX. ad Diodorum n. 2. ed. Maur. tom. III. pag. 249.

(14) Cf. card. De Aguirre *Concil. Hispan.* tom. II. diss. I. n. 48.

(15) *Acta conc.* Harduin tom. I. col. 256.

tiae inter ascendentes et descendentes in primo affinitatis gradu, siquidem illis, qui eas attentassent, Ecclesiae communio in perpetuum denegata est. « Si quis privignam suam duxerit uxorem, eo quod sit incestus, placuit nec in fine dandam esse communionem (16). » Rursum can. XV. prohibitur coniugium christianarum virginum cum ethnicis: « Propter copiam puellarum, gentilibus minime in matrimonium danda sunt virgines christiana, ne aetas in flore tumens, in adulterio animae resolvatur (17). » Demum can. XVII. sub perpetuae excommunicationis interminatione prohibetur, quominus parentes filias suas nuptui tradant idolorum sacerdotibus: « Si quis forte sacerdotibus idolorum filias suas iunxerit, placuit, nec in fine eis dandam esse communionem (18). »

Hic non contendimus, in his aliisque documentis, quae afferri facile possent ex primaeva illa aetate agi de impedimentis matrimonium dirimentibus, hanc quippe controversiam nunc seponimus, cum alias de ea singillatim sermo fieri debeat; sed illud unum asserimus, quod nemo inficiari poterit, quin omnia respuat aut in dubium revocet, quae allata sunt documenta, primis rei christiana seculis, seu sub ethnicis imperatoribus, Ecclesiam nomine et auctoritate propria, adeoque plena, suprema ac independente plura circa matrimonium fidelium constituisse, illudque ut rem suam, seu sibi a Christo traditam ab initio spectasse. Asserimus praeterea, ex iisdem documentis constare, Ecclesiam suis in sanctionibus nullam iniecissem de civilibus legibus, et de politica potestate mentionem; sed constanter provocasse aut ad sacras litteras, aut ad apostolicam traditionem, aut ad consuetudinem maiorum, aut denique ad sanctorum virorum statuta, ad honestatem sanctitatemque christiani coniugii, ac se plane autonomam in christiano coniugio regendo patefecisse.

Quod demum vetustissimis illis temporibus iam Ecclesia

(16) Ibid. col. 257.

(17) Ibid. col. 252.

(18) Ibid.

fidelium coniugia ritibus , precibus benedictionibusque communiverit quibus, significaret connubialem fidelium coniunctionem, gratiam utpote novae legis sacramentum , conferre , testis est iterum locupletissimus Tertullianus dum eius matrimonii celebrat felicitatem , quod Ecclesia conciliat , confirmat oblatio , seu eucharistiae celebratio , et obsignat benedictio (19); quique alibi inter caeteros nuptiarum ritus velum etiam commemorat , quod sponsa de sacerdotis manibus accipiebat , quodque distinguit a velo quod christianis virginibus dabatur , scribens : « Et desponsatae quidem habent exemplum Rebeccae , quae » cum ad sponsum ignotum ignota duceretur... si autem ad » desponsationem velantur etc. (20). » Quod clarius postea expressit S. Ambrosius dum ait : « Ipsum coniugium velamine sacerdotali et benedictione sanctificari oporteat (21). » Poenis vero ecclesiasticis sancita fuerit , quae constituta fuerant circa coniugia , ex allatis concilii Illiberitani canonibus apertum fit.

Et haec de prima aetate sub imperatoribus infidelibus ; eadem autem ratione se gessisse Ecclesiam in altera periodo , quae coepit sub imperatoribus christianis , ita ut propria auctoritate , eaque plane independente ab ipsorum politica potestate connubia christiana moderata sit , adhuc luculentiora documenta evincunt. Nam in concilio Neocaesariensi , quod celebratum est ante concilium Nicaenum , vetatur iniri coniugium a muliere cum defuncti coniugis fratre sub interminatione excommunicationis usque ad mortem ; neque indulgen'ia delinquenti in vitae exitu conceditur , nisi sub expressa conditione , quod si supervixerit , vinculum solvat eiusmodi incesti coniugii. En canonis II. verba : « Mulier si duobus fratribus nupserit , abiiciatur » usque ad mortem. Verumtamen in exitu , propter misericordiam , si promiserit , quod facta incolumis , huius coniunctionis vincula dissolvat , fructum poenitentiae conse-

(19) Lib. II. *Ad uxor* cap. VIII.

(20) *De virginibus veland.* cap. XI.

(21) Epist. XVII. ad Vigil. ed. Maur.

» quatur (22). » Et in conc. Aneyrano pariter ante Nicaenum habito statuitur , ut puellae alicui iam desponsatae , quae postea ab altero raptae fuerint , e raptorum manibus eripiantur , restituanturque illis , quibus fuerant desponsatae , quamvis a raptoribus violatae fuissent : « Desponsatas pueras , et postea ab aliis raptas , placuit erui et his reddi , quibus fuerant ante desponsatae , etiamsi a raptoribus florem pudoris sui amisisse constiterit (23). » De eodem raptus crimen egit S. Basilus in epist. canonica ad Amphilochium. « Qui ex raptu , inquit , mulieres habent , siquidem aliis iam desponsas abripuerint , ante admittendi non sunt , quam ab eis ablatae sint , et eorum quibus ab initio desponsae erant , potestati redditae , utrum eas velint accipere , an desistere ; si quis autem vacantem acceperit , auferre quidem oportet , suisque restituere , et ipsorum voluntati permittere , sive sint parentes , sive fratres , sive quivis alii pueras moderatores ; ac si ei quidem tradere velint , oportet matrimonium constituere , sin autem renuerint , nequaquam vim inferre (24). »

In eadem epistola , ac in altera quam prius ad eundem Amphilochium dederat S. Basilus alia plura constituit circa coniugia , quae successive contrahebantur a trigamis et polygamis , ac circa canonicarum matrimonium , de quo in specie statuit : « Canonicarum stupra pro matrimonio non reputentur , sed earum coniunctio omnino divellatur. Hoc enim et Ecclesiae ad securitatem est utile , et haereticis non dabit adversus nos ansam , quasi per peccandi libertatem ad nos attrahamus (25). » Caetera , quae de variis coniugiis disserit S. Pater in utraque canonica epistola , silentio praetereo. Plura item con-

(22) Ex interpretat. Dionysii Exigui apud Harduin. *Acta concil.* tom. I. col. 282. Celebratum est autem. an. 314.

(23) Can. XI. ex vers. Dionys ibid. col. 276. eodem an. 314. celebratum hoc concilium est.

(24) Epist. II. canon. ad Amphiloch. n. CXCIX. can. 22. ed. Maur. Opp. tom. III.

(25) Epist. CLXXVIII. can. 6. De eodem arguento disserit in altera epist. cit. can. 18. Quid canonicarum nomine S. Basilus significet , ambiguum

stituerunt Rom. pontifices circa nuptias, inter quos S. Syriacus in epistola ad Himerium, episcopum Tarraconensem, irritum declarat coniugium monachorum, prout iamdiu receptum erat sive in orientali sive in occidentali ecclesia (26), nec non sacerdotum ac levitarum (27), perinde ac in epistola ad Afros (28). Ita etiam se gessit S. Innocentius I. (29), et S. Leo M. (30); ut omittam, quae statuerunt concilia, quae quarto et quinto seculo celebrata sunt, cum de his postea recurrat sermo quando de impedimentis dirimentibus, eorumdemque statuendorum potestate disseremus (31).

Ex his nihilominus, quae hactenus protulimus aut indicavimus, satis appareat veritas eorum, quae affirmavimus, tum nempe a prima Ecclesiae periodo, quae sub principum persecuzione decurrit, tum in altera, quae ipsorum conversionem subsecuta est, Ecclesiam suo nomine, suaque auctoritate, ac sine ullo ad politicam potestatem respectu legislationem propriam constituisse circa fidelium coniugium, quod iugiter uti sacramentum sibi administrandum ac moderandum a Christo traditum spectavit, quin ullo modo civili potestati subiiceretur.

ARTICULUS III. — Potestas in Matrimonii christiani vinculum solius est propria Ecclesiae.

Non hic agimus de omnibus, quae quomodo cumque ad matrimonium referuntur, sed de ipso agimus tantum vinculo, quo matrimonium constituitur. Iam vero potestatem in vin-

videtur. Zonarus et Balsamon contendunt sub hac appellatione designari clericos, monachos ac virgines Deo consecratas; at Maurinus editor solas virgines sacras ostendit designari.

(26) Epist. VI. apud Constant. *Epist. Rom. pontificie*. col. 629.

(27) Ibid. cap. VII.

(28) Ibid. Epist. V. cap. II. n. 3. col. 635.

(29) Epist. ad Probum col. 909.

(30) Epist. ad Rusticum Narb. ed. Ballerini. CLXVII. c. 3. col. 1415. seqq.

(31) Interim Cf. Bianchi *Della potestà della polizia della chiesa*. Roma 1750. tom. V. par. II. cap. 6. §. 4.

culum matrimonii christiani ad solam pertinere Ecclesiam, tum a priori, tum a posteriori facile probatur.

Etenim, uti ostendimus, matrimonium christianum nihil aliud est quam contractus naturalis ad sacramenti dignitatem a Christo evectus; aut clarius adhuc, quam contractus coniugalis sacramentum a Christo effectus. Vinculum illudque perpetuum ac indissolubile *res est sacramenti*, saltem prout est perfectum et consummatum, atque eo pertinet, ut significet indissolubilem divini Verbi cum humana natura et cum Ecclesia unionem. Sane deme a coniugio rationem sacramenti, et omnis aut praecipuus saltem titulus perpetuitatis matrimonii in quolibet eventu, in qualibet rerum difficultate, adiunctorumque complicatione, sublatus est. Argumenta, quae pro dissolutione in nonnullis casibus pugnant, non minimam vim habent, ac proinde si coniugium spectaretur tantummodo sub contractus sive naturalis sive civilis ratione, sua perpetua firmitate destitueretur. Hinc Bellarminus adstruere non dubitavit, insolubilitatem matrimonii in causam *primariam et certissimam* referri non posse, nisi in signum coniunctionis *indissolubilis Christi cum Ecclesia*, in quam S. Augustinus eam perpetuo refert (32). Quocirca in nulla legislatione humana, imo neque in veteri lege divina, at solum in evangelica perpetuitatem illam reperimus in matrimonio, quae adstruitur et servatur in Ecclesia Christi, eo ipso quod Ecclesia tanquam verum propriumque sacramentum fidelium suorum coniugium habuerit referens perpetuam Christi cum Ecclesia coniunctionem. Quod si vinculum nuptiale effectus immedia-

(32) Lib. *De matrim.* c. IV. in quam sententiam cum Sanchez praeter D. Thomam allegasset S. Bonaventuram, Burgensem, Durandum, D. Antonium, Caietanum, Medina Nam aliquosque novemdecim subdit: « Hinc infertur » omnimodam indissolubilitatem non competere matrimonio *consummato ex iure naturae*, sed ex Christi pracepto positivo divino: *quos Deus coniuxit homo non separabit*, ubi elevavit matrimonium ad esse sacramenti, et ut representaret indissolubilem Christi per carnem cum Ecclesia unionem. » Lib. II. *De matrim.* disp. 45. Verum de hoc arguento plenius agemus in lib. III.